

radino Bestagno, Dominico Mascaro de Bestagno, & D. Thoma Baudizono de Aquis, testibus ad hæc vocatis, & rogatis. Quorum præsentia Rev. in Ch. Pater, & D. Guido Dei gratia, & Apostolicæ Sedis Aquensis Episcopus, & Comes attendens, & cognoscens quod infra scripta concessio Ecclesiæ Aquensi est utilis, necessaria, & fructuosa pro evidenti utilitate ipsius Ecclesiæ dedit, & concessit Mascaro Mazucho de Ulmo recipienti pro se, & heredibus suis, & vice, & nomine Elenæ filiæ quondam Petri Mazuchi ejusdem loci Ulmi pro quarta parte, & Petro, & Guillelmo de Rotundis de Rocaverano pro se, & eorum heredibus recipienti pro medietate decimam de dicto loco Ulmi, videlicet tres partes ipsius decimæ pro certo fictu, & reditu hinc ad novem annos proxime venturos promittens idem D. Episcopus pro se, & successoribus suis, nomine, & vice dictæ Aquensis Ecclesiæ, solemnī stipulatione interveniente ipsis Mascaro, & heredibus suis, & nomine quo supra, Petro, & Guillelmo pro se, & eorum heredibus prædictam concessionem firmam, & ratam habere, & tenere, & non contrahere, vel venire, sed ipsam decimam hinc ad dictum terminum legitime defendere, auctorizare, & manutenere, ab omni homine, personæ communi collegio, & universitate, & nullam dationem, obligationem, concessionem, vel contractum in præfata decima, vel ejus occasione facere, cujus prætextu dicta concessio infringatur, vel quominus prædicti conductores, sive ipsorum alter dicta decima uti, & frui valeant hinc ad terminum supra dictum, & hoc ideo quia e converso prædicti conductores, & quilibet ipsorum per se, & eorum heredes promiserunt, & convenerunt dicto Domino Episcopo, & successoribus suis dictam decimam bene, & diligenter colligere, exigere, petere bona fide, & jura ipsius decimæ manutenere, & conservare, & nomine fictus, & reditus quolibet anno in festo S. Thomæ dare, deferre, & apportare in castro Bestagni eidem D. Episcopo libram unam candelarum ceræ. Quæ omnia, & singula supra scripta prædicti D. Episcopus, & conductores promiserunt vicissim ad invicem solemnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus firma, & rata habere, & tenere, & non contrahere, vel venire aliqua ratione, vel causa de jure, vel de facto, sub pœnis, & hypotecis omnium honorum dictæ Ecclesiæ, & dictorum conductorum ad invicem inter ipsos supra præmissa. Item reficere, & restituere una pars alteri ad invicem omnia, & singula damna, expensas, & interesse litis, quæ, & quas una pars occasione alterius sua culpa contra prædicta venientis faceret, vel sustineret in judicio, sive extra. Pro quibus omnibus attendendis, & observandis, & prædicta decima sic habenda, & tenenda præfati Mascarus suo, & nomine quo supra, Petrus, & Guillelmus eidem D. Episcopo præstiterunt debitum fidelitatis juramentum; & inde duo instrumenta unius, ejusdemque tenoris fieri præceperunt ad consilium unius, & plurium sapientum, si opus fuerit. Ego Ughetus de Rolando, Imperiali auctoritate Notarius, & scriba prædicti D. Episcopi his omnibus

interfui, & hanc cartam mihi jussam rogatus tradidi, & scripsi.

Denunciatio Guidonis Episcopi Fratribus Marchionibus de Ponto se paratum esse idoneæ personæ solvere pecuniam statutam pro recuperatione Castelletti cum expositulatione adversus illorum injustam detentionem.

MCCCXLIII.

291

IN nomine Domini amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo quadragesimo tertio, Indictione undecima, die 26. mensis novembris, actum apud castrum Bestagni præsentibus Domino Gullielmo Marencho Archipresbytero Aquensi, Henrioto de Rolando, Domino Conradino Bestagno de Bestagno, Presbytero Restagno ministro Ecclesiæ Sancti Johannis de Bestagno, Domino Presbytero Petro de Rolando de Bestagno ministro Ecclesiæ Sancti Marciani de Sancto Marciano, Domino Magistro Thoma Baudesono de Aquis, Gullielmo filio quondam Caranti Ambroxii de Ancissa, & pluribus aliis testibus vocatis rogatis &c. Joannes Pascharinus de Ponto, qui se dicit procuratorem dominorum Henrici, Luchini, Percivalli, & Bonifacii fratrum de Ponto, sive de Carreto denunciavit Rev. in Christo Patri D. Guidoni, Dei, & Apostolicæ sedis gratia Aquensi Episcopo, & Comiti, quod prædicti fratres de Ponto sunt parati, & offerunt se paratos eidem Domino Episcopo velle dare, & relaxare castrum & villam Castelletti juxta formam arbitralis sententiæ prolatae per Dominos Paganinum de Bissozero Potestatem Astensem, Albertum ex Marchionibus Ancissæ, & Ughetum de Monteclaro arbitros, & arbitratores inter partes prædictas, dummodo idem Dominus Episcopus eisdem fratribus persolvat mille quingentos florenos juxta tenorem arbitralis sententiæ memoratæ, dicens, & denuntians quod ab hac die in antea prædicti fratres de Ponto dictum castrum custodient ejusdem Domini Episcopi sumptibus, & expensis.

Qui Dominus Episcopus statim, & incontinenti præsentibus testibus subscriptis, & Notariis infra scriptis dixit, respondit, ac publice protestatus fuit quod prædicta denunciata, & protestata per prædictum Johannem Pascharinum, qui se dicit procuratorem ut supra, non admittit, nec recipit, eo quia prædictus Johannes Pascharinus non docet, nec ostendit se esse procuratorem prædictorum fratrum de Ponto, cum jure testante non credatur quis procurator, nisi prius doceat de mandato. Dixit tamen ad cautelam, & protestatus fuit prædictus Dominus Episcopus præfate dicto Johanne Pascharino, qui se dicit procuratorem ut supra, in præsentia prædicti Domini Archipresbyteri tanquam in præsentia publicæ personæ, & præsentibus testibus supra scriptis, ac infra scriptis Notariis quod paratus est, & paratum se offert recipere dictum castrum, & villam Castelletti, quod per ipsum non stat, quin ipsum receperit, & habuerit a fratribus memoratis de Ponto, ac omnia effectualia observaverit, quæ in præ-